

AD REVERENDVM ADMODVM

Clarissimum & Excellentiss.

DN. LAMPERTVM ALARDVM, SS.

Theologiæ Licent, Poëtam, & Philologum longè præ-
stantissimum, Pastorem Brunopolitanum
meritissimum.

Quid feculento, Frater, iratus gregi
Vana laboras cordis ægrimonia?
Clamore ferreum præire stentorem
Asinina plebs studet, logorum prodiga,
Rudis, superba, concionibus tumens,
Sed turbulentis, sed bonarum expertibus
Rerumq; verborumque: nam sensus pios
Orationis eruditæ ne ctare
Lavisse, vel lavare posse, dedecus
Iners caterva ducit, & piaculum
Et hæresin, nefasque lustris omnibus
Non eluendum. Nempe murciæ pecus
Litavit olim, strenui Cytheridis,
Aut Naxii nepotuli, scærentibus
Pasti popinis, transfugæ Pimpleidum,
Heliconis hostes. Nunc, quod ipsi nesciunt
Peritiores nosse, tristes indolent,
Nasque suspendunt adunco nequiter,
Scientiarum proditores pessumi.
Hic seculi mos est: quod ipsa non capit,
Carpit molesta turba, nullis artibus
Linguisque nullis culta, sed famelica,
Et famisuga: doctiorum turpiter
Furtimque carpens è laboribus sacris,
Et indecenter omnibus serens locis,
Quod tempori tam convenit, quam felibus
Crocoton, aut nano Cothurnus Hercules:
Ut ille qui Pauli Simonis è libro,
Rostochienses inter undas edito,
De navigantibus per Sabbathum